AUTHOR: KEIL, HEINRICH

TITLE: OBSERVATIONES IN CAESIUM BASSUM

PLACE: HALAE

DATE: [1880]

Master Negative #

91-80081-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Keil, Heinrich, 1822-1894.

...Henrici Keilii et Gvstavi Ivergensii Observationes in Caesium Bassum et Atilivm Fortvnatianvm. Halae, formis Hendeliis [1880]

x p. 30 cm.


At head of title: Index scholarvm in Vniversitate litteraria Fridericiana Halensi...1880...habendarvm ...


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13 1/2
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-26-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT









AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202









MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA HALENSI
CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLXXX

A DIE XV. M. APRILIS AD DIEM XV. M. AVGVSTI

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

INSVNT

HENRICI KEILII ET GVSTAVI IVERGENSII OBSERVATIONES IN CAESIVM BASSVM ET
ATILIVM FORTVNATIANVM

HALAE

FORMIS HENDELIIS.

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE
RECTOR

ERNESTVS MEIER

CVM SENATV

S. D.

CIVIBVS SVIS.

Magno saepe labore opus esse, ut fides codicum manu scriptorum, quibus veterum scriptorum libri memoriae proditi sunt, recte existimetur, quibusve rationibus illi inter se contineantur perspiciatur, multis exemplis compertum est. in quo siquando non de omnibus libris ad quos illa quaestio pertinet exploratum est vel lectiones non tam accurate, quam fieri debebat, indicatae sunt, accidere solet ut aucta codicum notitia quasi per gradus quosdam id quod verum est cognoscatur. luculentum eius generis exemplum in editione grammaticorum latinorum, quam nuper absolvimus, nobis scriptores quidam, quorum libri Bobiensibus codicibus servati sunt, praebuerunt. quamquam enim in his libris quos diximus ad rectam codicum existimationem confirmandam et ad iudicium de auctoritate scripturae regendum aliquid contulisse nobis videmur, tamen non in omnibus statim contigit ut verae et genuinae scripturae fontes indagarentur. quare ad supplendam et confirmandam eam rem hac scribendi occasione oblata quaedam addere iis quae olim disputavimus visum est.

Pertinebit autem haec disputatio ad Caesii Bassi et Atilii Fortunatiani libros, qui una cum fragmentis quibusdam, quae cum illis in libris manu scriptis coniuncta erant, in sexto volumine grammaticorum latinorum a nobis olim editi sunt. haec omnia enim in Bobiensi codice olim inventa, deinde ab Italis descripta et apographis veteris archetypi ad nostram aetatem propagata esse constat. nam cum a. 1493 Georgius Merula primum praeclaram Bobiensis monasterii bibliothecam longo situ obrutam invenisset, in primis libri grammaticorum, qui ibi inventi erant, a doctis viris cupide expetiti et proximis annis post saepe descripti vel typis expressi sunt. praecipua in ea re fuit opera Iani Parrhasii Cosentini, qui cum patria exul per aliquot annos Mediolani et in aliis eius regionis oppidis viveret, partem codicum tum inventorum in suam possessionem redegit, aliorum sibi paravit apographa; non nullos etiam ex his libris editione Vicetina a. 1504 facta primus edidit. manu scriptos autem libros quos possidebat a. 1510, cum primum Neapolim, deinde Cosentiam rediret, secum abstulit. moriens libros Cardinali Antonio Seripando, cui partem eorum iam antea donavisse videtur, reliquit. ex huius hereditate postea in conventum S. Ioannis Neapolita-

num venerunt, unde maxima pars longo tempore post in regiam bibliothecam Neapolitanam delata est.

In his igitur codicibus, qui olim a Parrhasio Neapolim travecti sunt, fuit is qui nunc in regia bibliotheca est IV A 11, in quo variorum grammaticorum libri brevi tempore, postquam Bobii inventi erant, ex veteribus codicibus descripti sunt. ex hoc primis saeculi sexti decimi annis ii libri descripti vel typis expressi sunt, quos postea viri docti usurpaverunt. et in Velii Longi quidem et Arusiani Messii libris haec ita esse, ut dixi, comparato Parrhasii codice cum apographis in septimo volumine grammaticorum latinorum exposui et ad fidem eius codicis omnem lectionis auctoritatem revocavi. item in Martyrii libello de b muta et v vocali Bobiensis quidem codicis scripturam hoc uno memoriae proditam esse dixi. contra in illis libris quos supra dixi tum, cum editionem parabam, praeter pauca, in quibus ab initio fragmenti Caesii Bassi codicem Parrhasii cum editione Putschii collatum habebam, copia eius codicis facta nondum erat, sed pro hoc duobus Vaticanis codicibus et principe editione usus sum. postea Gustavus Iuergens, olim huius universitatis alumnus, qui tum Neapoli in libris manu scriptis excutiendis laudabilem operam collocabat, codicem me rogante cum mea editione contulit et comparatis cum eo lectionibus quas ipse ex Vaticanis codicibus et principe editione exhibueram hos libros e codice Parrhasii descriptos esse, id quod ipse suspicatus eram, me docuit. itaque ut damnum, quantum quidem fieri poterat, repararem, integram scripturae discrepantiam, quam ille accurate exscripserat et liberaliter mecum communicaverat, in fine operis exhibui. addiderat autem Iuergensius iis quae e codice exscripserat commentationem, in qua accurata de multis locis disputatione instituta omnem fidem scripturae a codice Parrhasii repetendam esse demonstraverat eaque quae hoc fonte recluso in editione mutanda esse videbantur composuerat. ex hac ea quae ad rem comprobandam maxime idonea esse videbuntur ita promam, ut meum iudicium sequar, laudem tamen inventae rei omnem ad Iuergensii studium referam. nam quamquam certa eius rei argumenta ab omni scripturae discrepantia potius quam a paucis locis exempli causa depromptis petenda sunt, tamen non inutile esse opinor ea quae gravissima sunt sub uno conspectu ponere.

Itaque primum descriptionem universi codicis a Iuergensio factam exhibebo:

„Codex Neapolitanus IV A 11 chart. fol. min. saeculi XV exeuntis vel XVI ineuntis foliorum 111. f. 1a *Velii Longi de Orthographia. Necessarium — foedi. Velii Longi de Orthographia explicit.* f. 18a *Adamantii sive Martyrii de B muta et V vocali. Artem — servare desiderant. Adamantis sive Martyri de B muta et V vocali traducta in cons. potestac lib. singularis exp.* f. 27a *Catholica Probi. Quoniam — delectare. Catholica Probi explicit.* f. 51a *Cornelii Frontonis | Incipit Arusiani Messi uc. or comitis primi ordinis exempla elocutionum Ex Vergilio Salustio Terentio Cicerone digesta per litteras. Abundans — idem.* f. 79a *Secundus pariambus — facultatibus* (gramm. lat. v. VI p. 255, 2 — 272, 11). f. 85a *Distinctio — duxisti* (ib. p. 273, 1 — 275, 9). f. 86a *Ars grammatica — declinatione* (ib. p. 275, 11 — 277, 15). f. 87a *Etsi scio — iambici erunt* (ib. p. 278, 2 — 304, 11) *Ars Atilii Fortunatiani explicit.* f. 99a *Ars Caesii Bassi de metris. Mecoenas — aucto* (ib. 305, 1 — 306, 27). f. 99b *Breviatio pedum. Pedes dissylabi — amicostenes* (ib. p. 307, 1 — 308, 29). *Breviatio pedum explicit. incipit De Compositionibus.* f. 100a

Ex trocheo — mimi (ib. p. 308, 31 — 312, 9). f. 105a *Idiomata nominativa quae per genera efferuntur, quae ex ipso ordine exponemus, quae apud Latinos masculina apud graecos foeminina sunt.* f. 108a *De commentariis Hieronymi in Matheum interpretatio vocabulorum graecorum.* Ad calcem codicis: *Antonii Seripandi ex Iani Parrhasii munere.* Exaratus est codex litteris elegantibus quidem, sed propter atramenti pallorem persaepe difficillimis ad legendum. in iis libellis, de quibus nunc agitur, inde a verbis *Ars grammatica* p. 275, 11 incipit altera manus, quae obtinet usque ad verba *quae a Graecis* p. 283, 4. deinde excipitur a priore, quae scripsit usque ad *tur bi nes* p. 309, 12. quod restat manus secunda ad finem perduxit. scriptus vero est liber accuratissime, neque inveniuntur correcturae paucissimis exceptis iisque factis ab ipsis librariis. in ea sola parte quae continet ea quae leguntur p. 283, 4 — 304, 11 et in margine et in contextu plurimae inveniuntur correcturae eaeque insertae et adiectae manu diversa ab iis quae codicem scripserunt, quamvis non recentior videatur esse. librarii codicis graece non callebant et in graecis verbis scribendis miro modo confundunt et perturbant, saepe etiam re desperata omittunt graeca verba lacunis in contextu indicatis. denique notandum est in opusculis quae inscribuntur 'breviatio pedum' et 'de compositionibus', quaecumque exempla adferuntur, omnia molestissima diligentia ita esse exarata, ut singulae syllabae vocabulorum parvis spatiis separatae inter se distent, velut *te me re re vo ca bi tur.*“

Quaestionem de auctoritate codicis in iis libris de quibus dicimus recte existimanda ita instituerat Iuergensius, ut ea in quibus scriptura librarii postea correcta est, hoc est maximam partem libri Fortunatiani p. 283, 4 — 304, a reliquis, quae correctoris operam experta non sunt, separaret. et de ea quidem codicis parte quae correcta non est, in qua fragmentum Caesii Bassi cum iis quae huic subiecta sunt et prima pars artis Fortunatiani usque ad p. 283, 4, deinde ea quae post Fortunatiani librum p. 305 sqq. leguntur scripta sunt, haec fere adnotaverat. Neapolitanum codicem cum duobus Vaticanis non solum ita consentire, ut unum et communem esse horum omnium fontem appareret, verum etiam saepe meliorem lectionem praebere quam illos. propius tamen a Neapolitano abesse priorem Vaticanum A quam alterum B, siquando hi inter se dissentirent. raro et in levioribus quibusdam rebus, quae coniecturae tribui possent, accidere ut Vaticanus B cum principe editione consentiens meliora praeberet quam Neapolitanus et Vaticanus A. in quo illud monendum est, quod omnino de his libris in quibus versamur valet, scripturam codicis B a Gaisfordio, quem auctorem in editione secutus eram, non tam accurate indicatam esse, ut certo de illo constaret, sed quaedam quae ex uno Vaticano A adnotata sunt haud dubie ex altero quoque adnotanda fuisse. atque etiam in iis quae priori Vaticano tribuuntur, ubi ille a Neapolitano dissentit, sunt de quibus dubitari possit, num recte illius scriptura indicata sit.

Ex iis locis autem qui rectius in Neapolitano quam in Vaticanis codicibus scripti leguntur primum ponam hos qui, cum omissis quibusdam verbis in Vaticanis (AB) corrupti sint, integri exhibentur in illo (N). p. 257, 7 de trimetro iambico claudo *cuius exemplum sella in curuli struma Nonius sedet ac pro sedet sedit erit scazon sella in curuli struma Nonius sedit rursus permutatione verborum et hunc faciet iambicum metrum* (deleto v. *metrum*) *rectum sella in curuli struma sedit Nonius et illum scazonta nec excitatur classico truci miles. hoc autem ita fieri observabimus* N, *cuius exemplum sella in curuli struma* (*semina* corr. *struma* B) *sedit*

Nonius et illum scazonta nec excitatur classico truci miles hoc autem ita fieri observabimus AB*). — p. 281, 10 *depositionis genera sunt quattuor. aut enim ακαταληκτον est, quando plenum metrum sive versus est: aut καταληκτικον est, quando syllaba deest, aut brachycatalecton, quando pes deest, aut ypercatalecton, quando pes est* (l. *et*) *syllaba deest.* ακαταληκτον *est ut avete fontes caeruli* N, *depositionis genera sunt quattuor aut enim ακαταληκτον est quando* (ακαταληπτον *est quandum* B) *plenum metrum sive versus est aut* καταληπικον (καταληκτικον B) *est ut avete fontes caerulei.* — p. 311, 21 de pedibus in clausulis sententiarum, ubi lacunam indicaveram, *ex trisyllabo cuius media b* (h. e. *brevis*) *sit, id est cretico, et pentasyllabo cuius secunda b sit,* '*moenium faciendorum, id est ex prima l* (h. e. *longa*), *secunda brevi, tertia et quarta longis, quinta b et tribus ultimis l, cuius exemplum sursum. ex trisyllabo cuius media b sit, .i. cretico, et pentasyllabo cuius secunda brevis sit, instantia comprobabatur, id est ex prima longa, secunda brevi, tertia l, quarta b et tribus ultimis longis, cuius exemplum sursum est* N: in A omissa sunt *moenium — brevis sit.*

Leviora sunt haec, in quibus veram scripturam, quae in Neapolitano codice inventa est, partim ex principe editione, partim coniectura restitueram. p. 264, 12 *unde meus veniat mollis in haec ora liber* N: *haec* om. AB. — ib. 15 *dum meus hic assiduo luceat igne focus* N: *hic* om. AB. — p. 266, 18 *persequi* N, *prosequi* AB. — p. 268, 15 *stet nive candidulum* N, *stet nive candidum* AB. — p. 271, 27 *varii anguli sunt* N, *varii singuli sunt* AB. — p. 278, 9 *cogita enim te de omnibus* N, *cogita enim ex omnibus* AB. — p. 279, 16 *nam in illo pede* N, *nam ab illo pede* A, *nam de illo pede* B. — ib. 18 *ceterum si aliqua harum litterarum primum locum teneat* N, *verum si aliqua litterarum primum locum teneat* AB: nam errori haud dubie tribuendum est, quod *harum* pro *litterarum*, ut in principe editione legitur, in B scriptum esse dicitur. — p. 280, 15 *dactylus ex longa et duabus brevibus* N: *brevibus* om. AB.

In his igitur locis, quos exempli causa posui, cum unus Neapolitanus codex genuinam, duo Vaticani corruptam scripturam praebeant, tum hi ipsi accurate inter se consentiunt. et quoniam alter Vaticanus B, si modo de scriptura libri dubitatio non est, meliora quam A omnino non praebet idemque aliis locis etiam magis quam ille depravatus est, non ex communi aliquo archetypo utrumque descriptum, sed potius ex ipso priore Vaticano alterum descriptum esse dicendum est. idem magno numero exemplorum, in quibus corruptae ipsius Neapolitani codicis lectiones in priore Vaticano accurate expressae et ex hoc ad alterum propagatae sunt, comprobatur. sed omisso hoc genere vitiorum pauca ponam, in quibus opera librarii archetypon suum in priore Vaticano exprimentis manifesto deprehenditur. habent enim in hoc genere etiam res per se levissimae aliquam vim ad illud quod quaerimus comprobandum. p. 256, 22 *clauditur* inducta *a* littera, non *claudit*, scriptum est in

*) Neapolitani quoque codicis scripturam mancam esse apparet, neque uno modo suppleri potest. iis autem quae olim collato Mario Victorino p. 136, 19 exhibui praefero haec, *cuius exemplum 'sella in curuli struma Nonius sedet': fac pro sedet sedit, erit scazon, 'sella in curuli struma Nonius sedit'. rursus permutatione verborum et hunc facies iambicum rectum, 'sella in curuli struma sedit Nonius', et illum scazonta, 'sella in curuli Nonius sedet struma'. similiter eadem permutatio rectum iambicum faciet etiam illum scazonta, 'nec excitatur classico truci miles', 'nec excitatur classico miles truci'. hoc autem* sqq.

N eodemque modo in A. — p. 258, 25 cum nota numeri in N scripta esset ita, *İİ altera divisio*, in A facta sunt haec, *ii altera divisio.* — p. 279, 28 verba *aut in duas syllabas* in N bis scripta eodemque modo in A repetita sunt. — p. 280, 22 definitio paeonis secundi et tertii in N neglegenter scripta neque satis accurate correcta est ita, *ex* (*iambo* superscr.) *pyrrichio et trocheo paeon* δευτερος *ex pyrrichio paeon* τριτος, cum deberet scribi *ex iambo et pyrrichio paeon* δευτερος, *ex pyrrichio et trochaeo paeon* τριτος. hinc orta est lectio Vaticani codicis, *ex iambo pyrrichio et trocheo paeon* δευτερος, *ex pyrrichio paeon* τριτος. — p. 282, 23 *toris* in Neapolitano codice adpunctum est, *tȯris,* eaque de causa in Vaticano omissum est.

De principe editione dicere non opus est, quandoquidem ea quae rectius in ea quam in Vaticanis codicibus leguntur neque coniecturae editoris tribui possunt etiam in Neapolitano codice inventa sunt.

Accedo ad eam partem codicis, in qua prior scriptura a correctore saepe suppleta et emendata est, quod in Atilii Fortunatiani libro inde a p. 283, 4 factum esse supra dixi. in qua parte quamvis minus expedita res sit, tamen in hac quoque unicum scripturae fontem esse Neapolitanum codicem certum est. nam cum priore scriptura, quae multis lacunis aliisque vitiis saepe corrupta est, princeps editio, cum emendata autem a correctore scriptura Vaticani codices plane consentiunt. sed priusquam de emendationibus a correctore adscriptis dicam, ex hac quoque parte promam exempla, in quibus, sicut in ea parte de qua adhuc dixi, Neapolitanus codex cum principe editione consentiens veram scripturam praebet, Vaticani codices propter errorem ab eo qui priorem codicem scripsit commissum, qui necessario ad alterum codicem propagatus est, corrupti sunt, velut haec, quae omissis verbis in Vaticanis mutilata sunt, integra leguntur in Neapolitano codice et in principe editione (ϛ), p. 285, 10 de dactylicis versibus *pentametrum acatalectum (acatalecticum* ϛ*) haec mare canificat nec agit freta caerula, exametrum acatalecticum conticuere omnes intentique ora tenebant* Nϛ: *haec — acatalecticum* om. AB. — p. 286, 23 de pedibus trimetri iambici *inveniuntur semper hi omnes incipientibus locis, id est sublationibus, quae loca imparia quidam vocant, in desinentibus vero, id est in depositionibus, quae loca paria appellant, non nisi qui a (appellant nisi quia* ϛ, quod fuit in prima codicis scriptura, *appellant non nisi qui a* corrector*) brevibus incipiunt* Nϛ, *inveniuntur semper hi omnes incipientibus locis id est sublationibus quae loca imparia quidam vocant non nisi* _q_ *brevibus incipiunt* AB. — p. 289, 18 *ionicum metrum quod a minore appellatur constat pyrrhichio et spondeo et spondei solutione anapesto et dactylo* Nϛ: *et spondeo* om. AB. — p. 296, 19 de asclepiadeo versu *nam si solas duas* συζυγίας *pronunties (duos pronuncies* lacuna post *pronuncies* relicta ϛ*) choriambicum sonant. eius generis trimetron fecit sic, tune quesieris scire nefas quem mihi quem tibi. denique si tertium choriambum tollas, remanet asclepiadeus, ut tune quesieris scire (quesieris esse* ϛ*) nefas tibi* N: *sonant — choriambum* om. AB. — leviora eiusdem generis sunt talia, p. 288, 2 de trochaicis versibus *tetrametrum catalecticum* Nϛ, *trimetrum catalecticum* AB. p. 290, 26 proceleumatici tetrametri catalectici exemplum *maritima itinera peragere cupio* Nϛ, *maritima tenera peragere cupio* AB.

Hoc consensu Neapolitani codicis et principis editionis ductus Iuergensius editionem ex eodem veteris archetypi apographo, ex quo antea Neapolitanus codex descriptus esset, expressam esse existimavit. mihi non videtur dubitandum esse quin Parrhasius, qui principem editionem paravit, et in Fortunatiani libro et in reliquis qui una cum eo in Neapolitano codice scripti sunt hoc ipso usus sit. nam et habuisse Parrhasium eum codicem scimus, neque quidquam in edito exemplo legitur, quod non potuerit vel ex eo libro petere vel sua coniectura invenire. sed illud sequitur, ea quae in vitiosa codicis scriptura a correctore mutata vel in marginibus addita sunt, quorum nihil noverat Parrhasius tum, cum editionem faciebat, post annum 1504, quo anno editio facta est, scripta esse. post hunc annum igitur ex codice Parrhasii descriptus est Vaticanus, in quem ea omnia quae corrector adscripserat recepta sunt. atque etiam in hac parte errores quidam ex scriptura codicis orti labentem in describendo exemplo librarium certo ostendunt. p. 287, 4 exempla iambicorum versuum in Neapolitano codice scripta erant ita, *dimetrum catalecticum imaque sonant liquentes dimetrom acatalectum amare nolo nec dolore Clinia;* corrector in margine pro *imaque* scripsit *aquae* et post *acatalectum* addidit haec, *avete fontes ceruli trimetrum acatalectum*, deinde pro *dolore* scripsit *dolere*. in Vaticano codice ea quae in margine adscripta erant neglegenter confusa sunt in hunc modum, *dimetrum catalecticum Aquae avete fontes cerulei sonant liquentes Dimetrum acatalectum amare nolo nec dolere clinia.* — p. 289, 9 exemplum dimetri ionici in Neapolitano codice scriptum erat *quae Pacosius fontibus;* corrector emendavit *Pegasius* et praeterea voci *fontibus* superscripsit *fon.* ex his in Vaticano facta sunt haec, *quae Pegasius fons fontibus.* — p. 290, 17 *viridi* in Neapolitano ita scriptum est, ut *i* littera ante et post *r* litteram non satis appareat. inde in Vaticano ortum est *urudi.* — p. 298, 2 graecum exemplum versus anacreontei in Neapolitano codice corruptum γουνους μαις εαφηβολε emendavit corrector, γουνοῦμαί σ' ἐλαφηβόλε. in Vaticano emendata scriptura coniuncta est cum corrupta, γουνοῦμάε σ' ἐλαφτιβολε εαφηβολε.

Iam vero quae ad corrigendam vitiosam scripturam postea adscripta sunt magna ex parte sane ita comparata sunt, ut ab ipso correctore non adhibito ad emendationem alio exemplo inveniri potuerint. plurima enim in levioribus quibusdam scripturae vitiis, quibus haec pars saepissime corrupta est, versantur. et studium emendandi ipse prodidit p. 302, 6, ubi pro *heccedecasyllabus sapphicus* in codice scriptum erat *hic endecasyllabus sapphicus*, corrector adscripsit *hexadecasyllabus* eoque deleto adnotavit 'cautius emendandum'. simili emendandi studio tribuo p. 292, 25 in versu Vergilii *duplicato pondere Turnus.* nam in codice *poplite* scriptum erat; *pondere* substituit corrector, idque in Vaticanos codices receptum est. *poplite* autem, quod in Vergilii libris legitur, haud dubie etiam in Bobiensi codice Fortunatiani scriptum fuit. alia tamen eaque haud pauca inveniuntur, quae dubitari nequit quin vel ex ipso vetere archetypo vel ex meliore archetypi apographo petita sint, in primis ea quae a librario omissa, postea in marginibus a correctore addita sunt. ex quo genere exempli causa adscribam haec. p. 285, 6 de dactylicis versibus *tetrametrum acatalecticum* (l. *catalecticum*) *Italiam fato profugus, tetrametrum catalecticum* (l. *acatalectum*) *coelicolae Veneris sacra semina.* p. 287, 3 exemplum dimetri iambici brachycatalecti *plenus cadus musti.* p. 291, 8 de pentametro elegiaco *nam et hic a dactylico nascitur, cuius divisio duplex traditur,* et deinde 10 *tertius spondeus, ita ut prima eius*

syllaba hemistichium et partem orationis finiat, sequens hemistichius sequentis (l. *hemistichium sequens et*) *partem orationis incipiat.* p. 293, 6 *ecce et phalecium metrum partem primam de antipasto metro habet, sequentem de iambico, ut passer deliciae meae puellae. nam prima syzigia antipastica est, at vero pars sequens ciae meae puellae dimetrum iambicum catalecticum habet.* nam in his omnibus ea quae diductis litteris expressi, *Italiam — catalecticum, cadus, cuius — traditur, finiat — orationis, nam — puellae,* in prima codicis scriptura omissa, sed postea in marginibus addita sunt. item graeca verba, quae a librario lacunis relictis omissa erant, a correctore addita sunt p. 292, 15 de priapeo metro *ideoque hoc metrum* παρωρισμενον *dicitur,* et deinde 27 *et de anapestico nasci logaoedicum metrum videmus, si metrum anapaesticum antibacchio* (corr. *palimbacchio*) *concluseris graece* αγετω θεος ου γαρ εχω αιχαγωνα αει *dein* (l. ἀγέτω θεὸς οὐ γὰρ ἔχω δίχα τῶνδ' ἀείδειν).

Ceterum omittendum non est ea quae proxime antecedunt eum locum, a quo correctoris studium initium cepit, hoc est fragmentum Donatiani et ipsum initium libri Fortunatiani, diversa ab his de quibus modo diximus manu scripta esse, in his ipsis autem eandem manum, qua liber Caesii Bassi cum prima parte fragmentorum quae huic subiecta sunt in codice scriptus erat, apparere. nam quoniam haec pars ad quam studium correctoris pertinet, antequam corrigeretur, multo neglegentius, ut videtur, scripta erat quam illa prior, vix potest haec neglegentia eidem librario qui Caesii Bassi librum scripserat tribui, sed corruptum Bobiensis archetypi apographum, non ipsum veterem codicem, in hac certe parte descripserat. quo factum est ut multa relinquerentur vitia, quae postea meliore apographo vel ipso archetypo adhibito correcta sunt.

Haec quae dixi sufficere puto ad illud quod supra posui confirmandum, in Caesii Bassi et Atilii Fortunatiani libris et in fragmentis quae his addita sunt non minus quam in ceteris libris, quos ex Neapolitano codice edidi, hunc unum ducem ad recuperandam Bobiensis archetypi scripturam sequendum, reliquos removendos esse. quam vim autem illud ad lectionem constituendam et ad emendationem perficiendam habeat, vel quid hoc teste reperto in editione corrigendum sit, ita demum plane intellegi poterit, si libri ad illius fidem redacti denuo editi fuerint. quamquam neque multa neque gravioris fere momenti sunt, de quibus nunc, postquam omnis scripturae fides ad unum librum revocata est, rectius, quam olim fieri poterat, iudicari possit. nam paucis locis exceptis Vaticani codicis et principis editionis lectiones de archetypo dubitationem non relinquebant. sed quoniam Iuergensius, quem auctorem huius disputationis secutus sum, ea quoque quae iam in lectione olim recepta corrigenda sunt adnotaverat, indicem horum locorum subiciam, in quo plurima quae ab illo indicata erant repetivi, pauca omisi, quaedam ipse addidi. in plerisque autem lectionem codicis adscribere sufficiebat; si quid adnotandum erat, adposita N littera lectionem libri manu scripti significavi.

p. 255, 1 Sine praescriptione N, item in libro Fortunatiani p. 278. sed huic subscripta sunt haec p. 304, 11 ARS ATILII FORTVNATIANI EXP. ex quo iam plane apparet in eo libro quem Caesio Basso vindicavi nomen Atilii Fortunatiani, quod olim ferebatur, nullam habere veteris memoriae auctoritatem, sed ex subscriptione alterius libri ab Italis additum esse.

256, 25 *monere*] *admonere.*

*

257, 2 *Nunc ad Hipponacta veniamus, cuius de tetrametri unius iambici genere, quia res exigebat, non suo loco diximus.*

258, 5 *quod*] *quam.*

260, 15 *hic versus*] *versus hic.*

261, 18 *scenodidascalico* correctum, 'ut videtur, ab eadem manu' *cynodidascalico* N. itaque *scenodidascalico*, quod Lachmannus coniecit, haud dubie in Bobiensi codice scriptum erat.

262, 11 *iis*] *his.*

263, 2 *fiet*] *fit.* 14 *accidere*] *accedere.*

264, 8 *ad summam*] *adsumam.*

265, 1 *sed tibi sede tibi Bromia derata pede mulier.* sed deletis *sed tibi* N. fortasse *sedet ibi Bromia domita pede mulier.*

266, 6 *versu*] *versibus.* 27 *nullo interveniente epodo qui.*

269, 2 *factum*] *factum est.*

272, 8 *elaboravimus*] *laboravimus.*

273, 14 *sed ut ne indoctus*] *sed ne indoctus.*

274, 7 *drasticon*] *apanasticon* N, hoc est *dramaticon.* 24 *aliquem e tribus superioribus*] *aliquid e trium superiorum* N: l. *aliquem trium superiorum.*

275, 16 *sic Graeci definierunt*] *Graeci sic definierunt.*

278, 14 *percurram*] *precurram.* 16 *excerpta*] *excepta.*

279, 18 *verum*] *ceterum.*

280, 1 *nix*] *nux.* 14 *vocant*] *appellant.* 19 *ex se*] *sexs.* hoc est *sexdecim.*

281, 1 *duos similes iungit*] *duos similes pedes iungit.*

283, 8 *his*] *iis.*

284, 9 *Apollo in eum intenderet*] *in eum Apollo intenderet.* 12 *omnibus locis*] *omnibus in locis.*

288, 24 *habeant hic et opacae*] *habitant hic et opacas* corrector.

290, 22 *minui*] *detrahi.*

291, 5 *suis iam*] *iam suis.*

292, 2 post *probaverunt* corrector addidit *qui hoc usi sunt.* 9 *Horatii hos*] *Horatianos* N: l. *Horatianos.* 11 *his*] *iis.* 25 *pondere*] *poplite:* cf. supra p. VIII.

293, 19 *si ter Bacche dicas, Bacche Bacche Bacche.* 28 *id est sic*] *et est sic.*

295, 9 *si ex his tribus constat*] *si ex rebus his constet* N: l. *si ex tribus his constet*, quod Bergkius scripserat. 10 *antistrophen periodon*] *antistrophen proodon* N: *ante strophen proodon* olim conieceram. 21 *usa est libro*] *usa est in libro.*

296, 24 *adicis*] *adicias.*

297, 2 *iambica dimetron*] *iambica habet dimetron.*

298, 11 *in omnibus Flaccus servavit*] *Flaccus in omnibus servavit.*

299, 10 *sic expletur*] *expletur sic.*

300, 21 *choriambicum est metrum*] *choriambicum metrum est.* 22 *choriambicum esse videatur integrum*] *integrum choriambicum esse videatur.* 28 *errasse Horatium apparet*] *errasse Horatium hoc apparet.* 30 *facies sic*] *sic facies.*

302, 3 *quibuscumque*] *quibusque.*

303, 4 *omnes ionici*] *omnes hi ionici.*

305, 10 *iambus*] *disiambus.*

311, 21 supplementum lacunae indicatum est supra p. VI.